LXXXIX.

L. S. D.

FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI

p. t.

Procancellarius
AUGUSTUS QVIRINUS RIVINUS,

Phil. ac Med. D. Phyſiol. atque
Botan. P. P.

J. D.

QUod animi paſſiones, ut vulgo dicuntur, ſeu affectus plurimum conferant ad ægritudines omnis generis producendas, irritandas, exaſperandas, id quidem apud eruditos pariter atque indoctos in confeſſo eſt. Vehementiſſimi præ cæteris ſunt ira & terror: Tardiores at maligni ſunt moeror, curæ, metus, amor infelix &c. unde ab his morbos diuturnos: ab illis repentinos potius naſci quotidie cernimus. Non dicam ſubitanea extinctos morte præ nimio gaudio, frequentius in iracundiæ furore, aut a terrore vehementiori; nam & horum inſignem recitare numerum haud foret difficile, ſi modo colligere hiſtorias hinc inde relatas, aut jamjam collectas recenſere velimus.

Aſt qua ratione hujusmodi oriantur morbi, & unde illa vis affectuum in ſanitatem hominis atque vitam, non æque obvium eſt. Dicam breviter, quid mihi videatur, ſalvo aliorum judicio. Eſt quædam in nobis anima ſeu principium vitale, quod cum brutis commune habemus, movendi, ſentiendi, apperendi facultate præditum, autor omnium functionum, digeſtionum, ſecretionum, nutritionis &c. Curam habet totius

tius corporis, quod intra uterum formavit, per totam vitam nunquam otioſa, utilia colligens ad certos uſus, nociva ſeparans & expellens. Itaque occupatur non tantum circa ea, quæ interna nobis exiſtunt, ſed etiam externa, ope ſenſuum videlicet objectorum bonitatem aut pravitatem explorans. Etenim quæ oculis obverſantur auribusve, aut in reliquos incurunt ſenſus, nonnunquam prorſus indifferentia ſunt. Audio e. g. vocem Ungari, Turcæ vel quamcunque barbaram, non intelligo autem ſermonis ignoti ſignificationem; atque ideo mihi eſt perinde, ſeu bonis utatur verbis, ſeu contumelioſis. Quotiescunque vero talia occurrunt, quæ vel arrident vel diſplicent, experior ſtatim in me motum animæ aut inclinantis erga objectum gratum, aut fugientis, quod odioſum eſt, aut hinc inde fluctuantis in dubio. Atque hoc in paſſu nihil eſt, quod proprie loquendo me movere valeat phyſice, ſed virtualiter tantum ſeu moraliter. Fingamus a quoquam verba mihi objici vehementer injurioſa; ſi ſoni aliqua vis inſita foret, moveret procul dubio adſtantes reliquos æque ac me ipſum: Verum tantum abeſt, ut hinc doleant, ut ſæpius delectentur, præſertim qui lites amant, aut mihi male cupiunt. Interim meus excandeſcit animus, oculi ſcintillant, facies rubore perfuſa quaſi ardet, ſangvis æſtuat in toto corpore. Unde hoc?

Nihil eſt, quod materialiter communicetur mecum; nihil eſt, quod per contactum realem me impellat. Quid igitur iraſcor? Nempe in fermento ſum, ab igne inſito agitatus: anima ignea in vindictam ruente, quod illatam ægre ferat injuriam, eamque omni-

bus modis ulciſci cupiat. Quicquid ergo patitur iratus, a ſe ipſo patitur inſtar monachi ſeipſum flagellantis; ſi enim animo ad mentem Stoicorum confirmato injuriam tolerare valeat, nihil exinde mali ſentiet: irridebit potius vanos inanesque calumniatoris conatus. Hinc eſt, quod quis præ aliis facilius commoveatur, ſcil. quia plurimi ſuis indulgent affectibus, pauci temperare ſibi debite norunt.

Applicemus jam ea pathologice. Vidimus pueros in epilepſiam conjectos, quod a larvis Rupertianis ſeu ſimulatis ſpectris circa feſtum Nativitatis Chriſti quondam apparentibus fuerint conterriti, quanquam his, utpote domeſticis plerumque, animus non eſſet nocendi, nedum occidendi vel devorandi. Non diſſimili modo demonſtravi alibi peſtem ex impotentia quadam animi contagium aëris lethale metuentis, ac forte data occaſione a terrore percuſſi, concipi & propagari longe lateque, quamvis venenum peſtilentiale nullibi deprehendatur, præterquam in ægris præ terrore iſto contremiſcentibus, deſperantibus. Et quemadmodum gravida notam vel ſtigma fructuum ceraſi, mori, rubi &c. imprimit embryoni, etiamſi deſiderato fructu potiri nequeat: ita non opus eſt materialiter quicquam ad generandos ejusmodi morbos concurrere ſub nomine contagiii, veneni, fermenti aut ſeminii, ſed & idealis conceptus aliquando ſufficit abunde, quod ſic declaro. Extra dubium eſt, moveri animum non modo ab objectis præſentibus, qualia ſunt, quæ terrorem incutiunt, ſed etiam abſentibus, præteritis atq; futuris. Quæ vero abſentium erit potentia: v. g. in amore infelici, ſi negetur puella, quam quis ardentiſſime deperit:

rit: in mœrore ob naufragium vel jacturam rerum ſuarum: in metu hoſtis e longinquo appropinquantis. Quomodo cauſæ privativæ ſeu deficientis aliquis erit effectus poſitivus; qualis cauſa talis effectus. Nihilominus experientia teſtatur, a jam nominatis affectibus, amore, mœrore, metu morbos graviores, poſitivos etiam ac lethales fuiſſe obortos. Quid igitur reſpondendum? Videlicet objecta illa externa non eſſe niſi cauſas occaſionales atque remotas, proximam veramque cauſam in ipſo quærendam corpore. Memini a mœrore ortam fuiſſe paſſionem iliacam in fœmina cœtera perfecte ſana; in virgine alia propter diſceſſum amatoris febrem albam tandemq; hydropem vix curabilem. Ita enim per gradus generantur morbi, datoque uno errore ſeqvuntur plures. Contigiſſe a mœrore palpitationes cordis, ab amore infelici paſſiones hyſtericas, nemo miratur, quod ſedem affectuum in corde, libidinis in utero fœminarum pleriq; ſtatuant. Sed quid mœrori cum ileo cæteriſque inteſtinis? quid amori cum anaſarca & pedibus oedematoſis? Verum ſi addidero, in triſtitia propter indeſinentem lachrymarum profuſionem & abſtinentiam a cibo potuque neceſſario, defeciſſe omne ſerum, atque ita excrementa ventris fuiſſe deſiccata & indurata, nemo amplius mirabitur à triſtitia natam paſſionem iliacam. Pari ratione ſi dixero, puellam ſtatim a diſceſſu amaſii pervigilio, anorexia & apepſia fuiſſe afflictam, nihilo tamen minus, ut clandeſtinum in præſentia parentum diſſimularet malum, alimenta ſumſiſſe, non in laudabilem chylum, ſed cruditates pravosque humores convertenda, tum vero apparebit non obſcure, quomodo ab amore, ſcilicet remote, proxime ab hu-

morum vitio contigerit ſuppreſſio menſium, cachexia, hydrops. Facillimo namque negotio colliguntur causæ materiales in corpore humano, ſi modo anima quodammodo fuerit otioſa, ſuique muneris ad aliquod tempus oblita; ſicuti videmus inutiles herbas, carduos & urticas ſponte in hortis naſci, quamprimum feriatur, qui horum curam habere debebat. Dixi ſuperius animæ id eſſe munus, ut reſtituat, quæ forſan deficiunt ad ſervandam vitam, ut ejiciat, quæ ſanitatem ullo modo lædere queant; jam vero ponamus animam inter ſpem metumque fluctuare, curis, mœrore, amore agitari dies noctesque, iracundia exardeſcere, a terrore attonitam, a deſperatione proſtratam jacere, numquid ab ea expectari poterit rectum ac ſalutare? nil minus. Dum enim occupatur circa ideam alicujus objecti fortius impreſſam negligit functiones ſuas adeo ad vitæ ac ſanitatis conſervationem neceſſarias; atque ſic peccat deficiendo mille modis, quod ſatis foret ad producendas ægritudines innumeras. Præterea tamen peccat interdum etiam poſitive, efficiendo v. g. æſtum febrilem, deliria, motus convulſivos atque ſic porro, quando iſta tumultuatio animæ humores inſimul partesque ſolidas exagitat, omnia in corpore turbat & confundit. Quantum vero hinc periculum immineat, ex hoc unico ſatis intelligimus, quod nulla ſpes ſalutis recuperandæ ſuperſit, ubi natura ipſa, i. e. anima, unicus morborum Medicus, nihil agit. Sit ita, impleri totum corpus humoribus pravis, deſtitui laudabilibus; ſolidas partes etiam putredine non parum corruptas, exulceratas, vel quomodocunq; læſas; ſi modo robur adhuc animæ ſuppetat, ſperare adhuc meliora licet. Aſt

quis

quis opem ferre poteſt animæ non tam ægrotanti, quam deſperanti ac reſpuenti auxilium? Adeo multum in regimine affectuum eſt ſitum, ut parum abſit, quin exclamem: Solum Sapientem eſſe longævum, h. e. qvi a paſſionibus animi eſt immunis, ſeu cum Stoicis penitus extingvere affectus, ſeu cum Epicuro debite moderari noverit, is demum vitam ſaluberrimam, a quamplurimis morbis liberam, & conſequenter diuturnam ſibi promittere poterit. Sed quam frequenter occurrunt qui vitæ ſuæ terminum abbreviant hoc ſolo, quod affectibus ſuis imperare neſciant. Auſim affirmare plures interire ira, terrore, mœrore, curis aliisque affectibus, quam gladio, vitio aëris, errore diætæ, aut quacunque alia morborum cauſa.

Nec obſtat, aliquando ab ipſis affectibus animæ quosdam fuiſſe in variis morbis levatos vel reſtitutos etiam. Mirari enim hujusmodi exempla magis, quam imitari licet: interim explicata fuſius videantur in Diſſertatione præſentis Domini Candidati.

Eſt nimirum Vir Juvenis Nobiliſſimus & Præclariſſimus

DN. CHRISTIANUS MENTZ, Longo-Saliſſ. Thuringus, Medicinæ Baccal.

qui ultra quinquennium in Scholis Medicorum enutritus, eam ſibi comparavit in Arte Noſtra peritiam, ut cum laude ad dignitates majores illum evehere ſtatuerit Gratioſiſſima Facultas Medica. Facta hucusque ab eo ſunt optime, quæ fieri volunt ſtatuta noſtra; jamq; paratus eſt in Cathedra publice defendere Diſputationum de *Animi Commotionum vi Medica* non ineleganter conſcriptam. Sub finem ejus faciam & ego, quod mei muneris eſt; juſſit

namq;

namq; Sereniſſimus ac Potentiſſimus Dominus, DN. FRIDERICUS AUGUSTUS, *Rex Poloniarum, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Wolhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ & Czernichoviæ; Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Angriæ & Weſtphaliæ, S. R. J. Archi-Marſchallus & Elector, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ & Superioris inferiorisque Luſatiæ, Burggravius Magdeburgi, Comes Principalis Hennebergicus, Comes Marcæ, Ravensbergi & Barbyæ, Dynaſta in Ravenſtein &c. Dominus meus longe Clementiſſimus*, Nomine *Celſisſimi Principis ac Domini, Dn.* MAURITII WILHELMI, *Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Angriæ & Weſtphaliæ, Poſtulati Adminiſtratoris Epiſcopatus Martisburgenſis, & Academiæ hujus Cancellarii Perpetui, Domini mei Clementiſſimi*, ut hac vice inſtructus Procancellarii poteſtate, ſecundum Inclyti Ordinis Noſtri Decretum, ei Licentiam Honores Supremos impetrandi conferam.

Vos igitur, *Magnifice Academiæ Rector, Comites Illuſtriſſimi cœterique Proceres ac Cives longe honoratiſſimi*, quo ſolennior ſit iſta Panegyris, decenter invitatos volumus, ne Veſtram exoptatiſſimam nobis denegare præſentiam velitis. Parati ſumus viciſſim omnes, quotquot ſingulare hoc beneficium accipimus, data quacunque occaſione id ipſum remunerari ſtudiis atque officiis noſtris, ſi modo, quæ grata fuerint vel accepta, intellexerimus. P. P. Lipſiæ d. 29. April. 1700.

Literis BRANDENBURGERIANIS.